

Caïum (1) ex graecis, et duos vel tres ex latinis adversarii proferre possint, nos vero omnes graecos, uno excepto, et omnes latinos tribus vel quatuor exceptis, pro nobis habeamus, ut num. 86 et seqq. ostendimus.

Et si de antiquitate, non de multitudine agatur, antiquior est *Clemens romanus* et *Dionysius areopagita* illo *Caio*, qui tertio ineunte saeculo epistolam ad hebraeos *Pauli* esse negavit. *Clemens* quoque *alexandrinus* eodem *Caio*, si non antiquior, saltem coaevus erat. Et tamen hi omnes textibus ex epistola ad hebraeos desumptis utuntur. Sic *Clemens romanus*, qui iam saeculo I floruit et apostolis erat coaevus, in sua epistola I ad corinthios num. 17, 36 et 43 ad testimonia epistolae ad hebraeos appellat, prout videre est in praestanti opere *epistolarum romanorum pontificum* tom. I edit. Paris. anno 1721 opera seu cura *Petri Cousant* e congregazione s. *Mauri*. Praeterea s. *Dionysius areopagita*, qui pariter saeculo 3 iam floruit, in epistola sua ad *Titum* pontificem data adducit testimonium epistolae ad hebraeos, et quidem *Pauli*, dum ait: *Arbitror itaque solidum cibum, intellectualis perseverantisque perfectionis.... significationem praeferre* id est, ut *Dionysius carthusianus* exponit: Reor, quod solidus cibus significet doctrinam internae ac constantis perfectionis), *per quam intellectuales illi sensus.... divina participant*

(1) *Caïus* iste fuit omnium primus, qui tertio ineunte saeculo, epistolam ad hebraeos a ceteris *Pauli* epistolis segregavit, eamque *Pauli* esse negavit, occasione cuiusdam disputationis, quam habuit adversus quemdam *Proculum* propugnatores haeresis *cataphrygarum*, qui, quamvis falso, reponebant fundamentum sui erroris in Epistola ad hebraeos. Rem hanc narrat *Eusebius*, *Eccles. Hist.* l. 6,

(id est, per quam doctrinam et perfectionem mentes illae contemplativae.... superna charismata sortiuntur): *quibus* (spiritualibus mentibus) *beatissimus Paulus solidi veraciter cibi, a sapientia accepti, consortium et participium tradit* (id est, apostolus communicat spiritualibus tamquam dignis et capacibus participationem et communionem solidi cibi, quem ipse a Sapientia aeterna accepit). Alludit nimirum, et appellat his ultimis verbis *Dionysius areopagita* ad illum s. *Pauli* locum ad hebraeos cap. 5, v. ult.: *Perfectionum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.* Vide *Dionysium carthusianum* in elucidatione dictae epistolae *Dionysii areopagitae*.

Quid porro dicam de *Clemente alexandrino*, qui saltem ad initium tertii saeculi iam extitit? Numquid is (ut alia taceam) ad illa verba epistolae ad hebraeos cap. 11, v. 1 et seqq.: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hoc enim testimonium secuti sunt senes.... Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo... Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.... sine fide autem impossibile est placere Deo, etc.* Numquid, inquam, *Clemens alexandrinus* ad haec verba, tanquam ad effatum s. *Pauli* expresse appellat, dum L. II. Stromatum num. II. ita scribit: *Fides autem, quam*

c. 16, his verbis: *Venit ad nos etiam Caïi cuiusdam disertissimi viri disputatio adversus Proculum cataphrygam, habita in urbe Roma, praesente episcopo Zepherino. Qui cum argueret cataphrygam, quod novas quasdam Scripturas praesumeret; ipse (nempe Caïus) inter caetera Pauli Apostoli tredecim esse epistolas asserit: eam, quae ad hebraeos scripta est, non commemorans.*

graeci calumniantur, existimantes inanem et barbaram, est voluntaria... pietatis assensio, rerum quae sperantur substantia, argumentum eorum quae non videntur, ut est sententia divini apostoli. Per eam enim maxime testimonium acceperunt, qui sunt antiquiores. Sine fide autem impossibile est Deo placere, etc.? Ita *Clemens alexandrinus*. Verum haec sufficiant. Satis enim hucusque ostensum est, et multitudinem et antiquitatem patrum allegare epistolam ad hebraeos tanquam opus s. *Pauli* Deo inspirante scriptum.

91. ARGUM. II. Epistola ad hebraeos primis ecclesiae seculis apud graves quosdam auctoritate canonica non valuit; quin et apud s. *Hieronymum*, qui asserit (1): *Latina consuetudo eam epistolam inter canonicas Scripturas non recipit.* Et in prologo galeato: *Paulus apostolus ad septem scripsit ecclesias; octava enim ad hebraeos a plerisque extra numerum ponitur.* Ergo nec posterioribus seculis poterat canonicis epistolis annumerari. R. I. Neg. cons: Nam etiamsi antecedens esset simpliciter verum, solum sequeretur quod epistola ad hebraeos non sit *proto-canonica*, id est semper et ubique pro canonica habita; non autem quod non sit *deutero-canonica*, seu quod non potuerit posterioribus seculis canonicis epistolis annumerari. Dantur enim tam in veteri, quam in novo testamento Scripturae aliae *proto-canonicae*, aliae *deutero-canonicae*, quae posteriores non semper ab universali ecclesiae canonicae sacrae Scripturae insertae fuere, quasque iam alibi (2) ex instituto enumeravimus.

(1) In cap. 7 et 8 *Isaiae*.

(2) Vide p. 4 s. Scripturae contra incredulos propugn., V. T., sect. 4, q. 1.

(3) Vide supra n. 88.

R. II. Quo loco habuerit primis seculis ecclesia tam graeca quam latina epistolam ad hebraeos, ex praecedentibus numeris 87, 88, 89 et 90 abunde constat. Quae autem causa fuerit, cur nonnulli saeculo III et IV de hac epistola aliter senserint, satis exploratum non est: plures tamen, inter quos etiam *Calmetus* (3) est, ortum id esse arbitrantur, quod *novatiani* saeculo III, et *ariani* sub initium saeculi IV quibusdam textibus ex epistola ad hebraeos desumptis abusi fuerint: unde illo tempore haec epistola apud nonnullos in suspicionem venisset. Sed enim etiam eo tempore maxima et potior ecclesiae pars priore in sententia stetit; ut ex dictis (4) satis elucescit.

92. ARGUM. III. Auctor epistolae ad hebraeos pugnat cum doctrina evangelica, vi cuius omnia peccata remitti possunt: ergo memorata epistola non potest esse canonica. Prob. ant. Auctor eiusdem epistolae (5) haec habet: *Impossibile est enim, eos, qui semel illuminati sunt.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam; et iterum* (6): *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergo auctor epistolae ad hebraeos adstruit quaedam esse irremissibilia. Ad istud *Magdeburgensium* argumentum solet duplex responsio dari. Nam PRIMO peccata, de quibus in citatis verbis epistolae ad hebraeos sermo est, dicuntur irremissibilia, non hoc sensu, quod absolute remitti non possint, sed tribus aliis de causis. I. Quia ut plurimum eiusmodi homines non convertuntur; nec eius-

(4) Vide supra n. 87, 88.

(5) Ad Hebr. c. 6, v. 4 et 6.

(6) Ad Hebr. c. 10, v. 26.

modi peccata remittuntur, etsi absolute contrarium potest accidere, et aliquando reipsa accidit: sicut in morbis corporalibus eos vocamus incurabiles, qui ut plurimum non curantur, etsi quandoque curentur; et eos vocamus curabiles, qui ut plurimum curantur, etsi quandoque non curentur: vel sicut Matth. cap. 12, v. 32 Christus ait: *Qui autem dixerit (verbum) contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro*; hoc est, difficillime remittetur, ita ut hoc modo loquendi tantum significetur magna difficultas, non autem absoluta impossibilitas: prout theologi et interpretes haec verba communiter exponere solent. II. Quoniam qui semel illuminati sunt, et prolapsi sunt, ac post acceptam notitiam veritatis voluntarie peccant, directe resistunt gratiae, qua sola curari possent: quemadmodum, qui non potest sanari, nisi sectione venae, et nullo modo admittit hoc remedium, recte medicus de eo pronuntiat, fieri non posse ut sanetur: nec tamen propterea negatur, quin possit aliquis sapientissimus medicus aegroto persuadere, ut admittat venae sectionem. III. Qui ex malitia peccat, nihil habet in se, unde remissionem mereatur, et propterea dicitur eius peccatum irremissibile, quamvis absolute remitti possit. Qui autem peccat ex ignorantia vel infirmitate, aliquid habet, unde misericordiam Dei provocet, iuxta illud apostoli (1): *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

93. Atque haec quidem responsio satis esse videtur ad eam tollendam difficultatem, quae ex allatis in praesenti obiectione textibus epistolae ad hebraeos oriebatur. Ve-

(1) 1. Timoth. c. 4, v. 15.

rum addo etiam aliam. Nam priorem locum, qui habetur ad hebr. cap. 6, v. 4 et 6, exponunt multi et ferme omnes (ut apud *Cornelium a Lap.* in expositione huius loci videre est), ut *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophyl.*, *Oecumenius*, *Hieronymus*, nec non *Augustinus*, et alii de renovatione ad poenitentiam, quae fit in baptismo, non ad eam, quae fit in reconciliatione post baptismum. Nam quod de baptismo loquatur cit. c. 6 s. *Paulus*, satis indicant verba illa: *Non rursum iacentes fundamentum poenitentiae... fidei... baptismatum* etc. et illa: *Eos qui semel sunt illuminati.* Nam apud *Dionysium* (2), et alios veteres baptismus dicitur illuminatio, quia est sacramentum fidei. Et illa: *Rursum renovari*; nam (ut *Augustinus* in inchoatione epist. ad rom. docet) per baptismum proprie renovamur, per conciliationem curamur. Denique etiam illa: *Iterum crucifigentes Filium Dei*: nam in baptismo repraesentamus Christi mortem et sepulturam, ut dicitur Rom. cap. 6, et sicut semel tantum Christus mortuus est, ita et nos semel tantum baptizari possumus. S. *Paulus* igitur ad hebr. cap. 6 adversus fidei desertores disputat, ac docet, neminem post baptismum in ecclesia susceptum, alibi posse iacere fundamentum, et invenire aliud baptismum; nam id impossibile est, cum unum sit tantum verum baptismum, et illud reiterare grande peccatum sit. Eundem sensum habet secundus locus. *Voluntarie* enim peccantibus, id est, recedentibus a iam cognita et suscepta fidei veritate, non relinquitur hostia pro peccato; non quia non est locus poenitentiae, sed quia nulla est vere

(2) Cap. 2 Eccles. Hierarch.

efficax hostia, nisi mors Christi, quam illi apostasia sua contemnunt.

94. INSTANT: Auctor epistolae ad hebraeos cap. 12, v. 17, de *Esau* ait: *Non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*: ergo denuo confirmat doctrinam, quod quaedam peccata sint irremissibilia. R. conc. ant. neg. cons. et suppositum, quod hoc loco sermo sit de vera poenitentia ob peccatum patratum. Neque enim *poenitentia* hic significat dolorem ob peccatum commissum et Deum offensum; nam hunc non habuit *Esau*: sed potius indignans voluit fratrem occidere, et peccare, ut notant *Theodor.*, *Theophyl.*, *Anselm.* et alii: igitur dolor seu poenitentia *Esavi* non fuit ob peccatum commissum, et Deum offensum, sed ob benedictionem paternam amisam, et ius primogeniturae venditam. Perperam itaque et inepte novatiani ex hoc loco probare voluerunt, dari peccata per poenitentiam irremissibilia. *Esavi* enim poenitentia non erat vera, et propter Deum offensum, sed humana ob memoratum damnum, quod incurrit.

95. ARGUM. IV. Epistola ad hebraeos videtur favere *arianis*, dum cap. 1, v. 3, de Filio Dei tanquam de creatura loquitur: *figura substantiae eius*; et v. 4, Filium Dei factum, non genitum insinuet: *tanto melior Angelis effectus*: ergo haec epistola non est canonica. R. dist. ant. Videtur favere aut favet *arianis*, si rite intelligatur: neg. ant. si perperam accipiatur, uti faciunt adversarii. Conc. ant. et neg. cons. Auctor huius epistolae citato cap. de Iesu Christo iam secundum humanam naturam iam divinam considerato loquitur. Inducit v. 3, quaedam ex creatis similia, eaque Dei Verbo accommodat; sed nemo sapiens ignorat, haec similia, hoc i-

psa quod creata sunt, imperfectione non carere, adeoque de Verbo divino non nisi dempto eo, quod imperfectionem importat, intelligenda esse. Itaque dum Verbum divinum ad hebr. c. 1, v. 3, dicitur *figura*, graece χαρακτήρ *substantiae eius*; imperfectione remota, intellige characterem substantialem, figuram permanentem, in qua essentia Dei patris veluti impressa cum omnimoda identitate naturae resplendet, uti explicant *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Theodoretus*, et interpretes passim. Dum vero ibid. v. 4 Filius Dei dicitur *effectus*, vel iuxta textum graecum: tanto superior angelis factus (*ποσούτω κρείττων ἰσχύμενος*), id de natura humana divinitati hypostatice coniuncta, et sic super omnes angelos melior, praestantior, et excellentior facta accipiendum est.

96. SCHOLION. Vox *effectus* vel *factus* hoc loco non significat, Christum antea fuisse minorem angelis, ut deinde postea iis maior sit effectus; sed significat, Christum hoc ipso quod homo factus est, maiorem factum esse angelis. Nam hic homo seu Christus in ipsa incarnatione factus est Dei Filius, cuius angeli tantum ministri sunt. Igitur auctor epistolae ad hebraeos hic non significat, Christum antea fuisse minorem angelis, et deinde iis maiorem effectum, sed significat Christum hoc ipso quod homo factus est, maiorem factum esse angelis.

97. ARGUM. V. Auctor epist. ad hebr. c. 1, v. 5, Christum esse angelis superiorem et naturalem Dei Filium, vult evincere his verbis 2, Reg. 7, v. 14: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium*: quae sane verba secundum litteram ad solum *Salomonem* referri possunt. Unde potuissent hebraei facile respondere, quod in citato loco L. II. Reg. 7, v. 14, non de Filio Dei, sed

puro homine, et qui potuit peccare et peccavit, nempe de *Salomone* dicta sint verba illa. Neque iuvat dicere, quod ea in sensu quidem literali de *Salomone*, in sensu autem mystico de *Christo*, cuius figura erat *Salomon*, dicta sint. Argumentum enim ex sensu mystico petitum fuisset minoris auctoritatis et roboris, in principio praesertim epistolae et apud hebraeos. Omnibus itaque consideratis, auctor epistolae ad hebraeos hanc non scripsit Deo inspirante, nec ea inter canonicas Scripturas numeratur. *¶* Ut huic argumento satisfaciamus, illudque funditus evertamus et confutemus, duo sunt explicanda. Primum, quomodo citata verba ex libro secundo Reg. de *Christo* sint intelligenda. Alterum, quam vim habeat auctoris epist. ad hebr. argumentatio ex his verbis confecta. Itaque inprimis dico, haec verba in sensu literali de *Salomone*, in sensu autem mystico de *Christo* intelligenda esse. Neque mirandum est, quod *s. Paulus*, qui est auctor (1) epistolae ad hebraeos, ex sensu mystico argumentetur; saepe enim alias ita argumentari consuevit, et sciebat, hoc probandi genus in Scriptura et apud hebraeos usitatum et validum esse. Exempla habemus 1 Cor. cap. 9, et 1 Timoth. cap. 5, in nube et mari etc. Ad Galatas cap. 4, in *Sara et Agar* significantibus duo testamenta, novum scilicet et vetus. In evangelio etiam hoc videre licet Matth. cap. 2, v. 15, in verbis *Oseae* prophetae: *Ex Aegypto vocavi filium meum*. Item Ioan. cap. 19, v. 36, in dicto *Exodi*: *Os non comminuetis ex eo*.

(1) Vide supra n. 72 usque ad n. 82.

(2) In epist. ad Hebr. c. 1, v. 5, comment. num. marginali 55.

(3) L. 6 de reeta in Deum fide, c. 25, p. 225.

Porro, quod in obiectione dicitur, argumentationem e mystico sensu productam non valere, aut non esse permagni roboris intelligi debet ut *Ribera* (2) cum *Michaële Medina* (3) recte observat, de eo sensu, quem sibi quis voluntarie confinxit. Sed si educatur e sensu mystico recepto atque a Spiritu s. intento, non minus valida est, quam quae a sensu literali seu historico educitur. Haec autem argumentatio, qua auctor epistolae ad hebr. cap. 1, v. 5, utitur, supponit sensum mysticum apud hebraeos ex iudaismo ad fidem *Christi* conversos, ad quos (4) haec epistola scripta est, receptissimum; his enim certo persuasum erat, *Salomonem* fuisse figuram *Christi*. Neque obest, quod *Salomon* fuerit peccator, seu graviter deliquerit. Ex hoc enim plus non sequitur, quam quod non fuerit figura *Christi* in peccatis suis; quia *Christus* non peccavit, nec habuit peccata propria, sicut *Salomon*: fuit tamen figura *Christi* quoad alia, nimirum in regno, et in pace, et in aedificatione templi etc. Praeterea etiam aliunde certum est, quod homines mali et peccatores possint esse, et fuerint figura *Christi*. Sic, ut alia taceam, *Cyrus* fuit typus seu imago *Christi Domini*, qui a peccato et daemonis captivitate liberavit genus humanum, praefiguratus a *Cyro* liberante iudaeos ex *babylonica* captivitate. Denique illud quoque repetendum et adhuc magis dilucidandum, sensum mysticum non minus ad confirmationem etiam dogmatum valere, quam literalem. Etenim sensus literalis propterea valet ad confirmationem dogmatum, quod eum intendit Spiritus s. sed idem intendit etiam sensum mysticum, quia per ea, quae

(4) Vide et *Hermann. Goldhagen*, introduct. in s. Script. p. 5, sect. 2, n. 279.

in veteri testamento fiebant, significabat ea, quae futura erant in ecclesia *Christi*. Quare cum *Paulus*, qui, ut supra iam dixi, est auctor epistolae ad hebraeos, cum, inquam, *Paulus* plenus Spiritu sancto videret *Salomonem* umbram et figuram fuisse *Christi*, et Deum patrem, cum dixit; *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium*, magis ad *Christum*, quam ad *Salomonem* respexisse; recte de *Christo* loquens ea verba retulit, quae de ipso dicta esse certo sciebat. Nec reprehendendi sunt apostoli, dum huiusmodi argumentis utuntur, sed magnopere laudandi, quoniam, ut *Ribera* eleganter ait, non tam argumentari saepe voluerunt, quam ostendere nobis per spiritum, quo pleni erant, divina mysteria sub humili cortice latentia, et introducere nos ad thesaurum absconditum, ut et certior esset fides nostra, et maior laetitia atque exultatio, dum novi testamenti mysteria dictis et factis veterum patrum praedicta, et ante multos annos quasi depicta videremus.

98. SCHOLIUM Hac occasione observare iuvat, qui nam sint illi, qui mysticum sensum nullum agnoscunt, aut minus digne de eo sentiunt. Solum sensum literalem, excluso omni mystico amplexantur recentiores hebraei cum pluribus lutheranis, item cum socinianis et quibusdam criticis socinianismo faventibus. *Abulensis* quoque (1) nullum sensum mysticum, sed solum literalem a Spiritu sancto intentum admittit; quamvis quoad substantiam a reliquis doctoribus catholicis non dissentiat, hoc solo discrimine, quod sensum, quem isti defendunt esse

(1) Comment. in cap. II. Matth. q. 57, et in cap. 13, q. 28.

(2) Tales ex. gr. sunt *Franc. Xav. Widenhofer* s. Scripturae dogmaticae et polemicae explicatae, tom. 1 in prolegomenis

mysticum, ille contendat esse literalem; uti patebit legenti modo citatas huius auctoris quaestiones. Alii cum *Grotio* et *Simonio* sensum mysticum admittunt quidem, sed dicunt esse minus proprium, et ad probandum vel nihil, vel parum efficacem. Denique hac de re ingens bellum scripturisticum excitarunt in Gallia recentiores quidam scioli asserentes, nullum esse admittendum sensum mysticum, nisi in iis dumtaxat locis, de quibus habemus alium Scripturae locum, quo declaretur, in illis latere sensum mysticum. His praenotatis cum communi doctorum catholicorum in compendio statuo sequentes conclusiones, ab iis auctoribus (2), qui ex instituto scripsere de sensu mystico, fusius demonstratas.

I. *Non in omni Scripturae loco praeter sensum literalem datur mysticus.* II. *In multis Scripturae locis praeter sensum literalem debet admitti sensus mysticus, a Spiritu sancto etiam intentus.* III. *Non tantum in veteri, sed etiam in novo testamento non raro praeter sensum literalem continetur mysticus.* IV. *Non tantum unus, sed plures sensus mystici quandoque continentur in una voce vel loco Scripturae.* V. *Quando ex alio Scripturae loco, aut aliunde certum est, aliquem vere esse sensum mysticum, a Spiritu s. sub cortice literae intentum, tunc aequae efficax, et irrefragabile argumentum ex tali sensu mystico formari potest, ac ex sensu literali.* Ratio huius ultimae assertionis est manifesta; quia talis sensus mysticus aequae ac literalis Spiritum s. habet auctorem, qui tam parum in uno, quam altero sen-

s. Scripturae pag. 43-49. *Herman. Goldhagen*, introduct. in s. Script. part. 1, sect. 1, q. 4 et 5, pag. 148-162. *Michaël Medina* l. 6 de reeta in Deum fide, c. 25, pag. 222 et 225.

su fallere aut falli potest. Sola igitur quoad vim probandi haec est inter literalem et mysticum sensum differentia, quod de sensu literalis, utpote magis aperto et obvio, ordinariè facilius et certius sciri potest, quod sit verus Scripturae sensus a Spiritu s. intentus; ideoque ab eo communiter firmiora duci argumenta queant, quam a sensu mystico, de quo non ita facile constat, an sit vere mysticus, seu a Spiritu s. sub cortice literae intentus. Literalis enim sensus, seu *verborum* significatio, utpote pendens ex humana institutione vel consuetudine, cui Deus in s. Scripturis se accommodare solet, est nobis plerumque cognita; secus vero sensus mysticus, seu *rerum* significatio, quae ex arbitrio Spiritus s. pendet. Si tamen certo constat de sensu spirituali seu mystico, aequè (ut dixi) efficax erit ad probandum ac sensus literalis; neque tantum serviet ad mores instruendos, sed etiam ad fidei dogmata probanda et defendenda. Sane *Christus* ipse et apostoli non raro ex sensu mystico argumentati sunt ad doctrinam fidei declarandam et confirmandam. Sic *Christus* ex serpente aeneo exaltato a *Moyse* (1) infert se fore exaltandum in cruce (2): ex eo quod *Jonas* tribus diebus et tribus noctibus fuerit in ventre ceti (3), infert, se fore simili tempore in corde terrae (4). *S. Paulus* ex eo, quod *Abraham* habuit duos filios, *Ismaëlem* de ancilla, et *Isaacum* de libera (5), allegorice indicat (6), Deum esse auctorem utriusque testamenti veteris et novi, quorum figura erant *Agar* et *Sara*. *S. Ioannes* ex eo, quod

(1) Num. 21, v. 9.

(2) Ionac. c. 5, v. 14.

(3) Ioan. c. 2, v. 2.

(4) Matth. c. 12, v. 40.

(5) Genes. c. 16, v. 4, et 11. Et c. 21, v. 2 et 5.

de agno paschali dicitur (7): *os non comminuetis ex eo*, arguit mystice (8), Salvatore in cruce non fuisse frangenda crura. Igitur ex usu ipsius Christi et apostolorum habemus, valere sensum mysticum etiam ad res fidei probandas et confirmandas.

99. ARGUM. IV. Auctor epistolae ad hebraeos cap. 9, v. 4, dicit, in arca foederis fuisse urnam continentem manna, et virgam *Aaron*, quae fronderat, et tabulas legis: sed L. 3 Reg. cap. 8, v. 9, expresse dicitur: *In arca autem non erat aliud nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb*: ergo epistola ad hebr. non potest esse canonica, utpote aperte contradicens alteri textui s. Scripturae. R. Ex variis variorum responsionibus, quas ad apparentem hanc antilogiam solvendam afferunt, mihi praeplacet, et sufficit illa, quam *Cornelius a Lap.* (9) cum multis aliis amplectitur. Dico itaque, praepositionem *in*, dum ad hebr. cap. 9, v. 4, dicitur, in arca fuisse urnam, et virgam *Aaron*, ample sumi, et significare idem ac *iuxta* arcam. In loco enim aliquo esse dicitur, quod in eo est, vel in loco contiguo est. Neque desunt in s. Scriptura exempla, ubi praepositio *in* posteriori sensu adhibetur. Sic Ioan. 10, v. 23, legimus: *Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis*. Et tamen porticus non erat templum proprie loquendo, sed templum vocatur, quia adiuncta erat templo. Et Luc. 13, v. 33, Dominus de morte sua ait: *Non capit prophetam perire extra Ierusalem, cum tamen ipse non fuerit mortuus in Ierusalem, sed pro-*

(6) Ad Galat. c. 4, v. 22, et seqq.

(7) Exod. c. 12, v. 46.

(8) Ioan. c. 19, v. 36.

(9) Comment. in Epist. ad hebr. c. 9, v. 4.

pe illam, quia, ut dicitur ad hebr. 13, v. 12, et omnino certum est: *Iesus...extraportam passus est*. Unde etiam illud Luc. 9, v. 31. *Et dicebant excessum* (graece ἐξόδου, *exitum*) eius, quem completurus erat in Ierusalem, hunc sensum habet: *prope Ierusalem in monte Calvariae*. Imo etiam in sermone quoque profano et vulgari dicimus Augustae, Monachii, Viennae contigisse, quod iuxta seu prope has urbes contigit. Dicit ergo auctor epistolae ad hebraeos (nempe s. *Paulus*) haec omnia (puta urnam, virgam, et tabulas legis) fuisse in arca, id est, in arca, vel iuxta arcam. Et hoc est, quod iusserat Dominus Moysi de manna dicens Exod. 16, v. 33: *Repone illud coram Domino*; non dicit, in arca, sed *coram Domino*, id est, coram arca et propitiatorio, in quo quasi throno suo residet Dominus. Similiter de virga *Aaron* scriptum est Num. 17, v. 40: *Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut seruetur ibi etc.* - *Fecitque Moyses sicut praeceperat Dominus*. Ex quibus verbis cum *Ribera* ita argumentatur: Cum Dominus ait: *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii*, vult iterum ferri ad locum, in quo erat prius: non erat autem prius in arca; ita enim legimus in eodem cap.: *Loquere ad filios Israël, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum - ponesque eas in tabernaculo foederis coram testimonio, ubi loquar ad te*. Eni ait: coram testimonio, id est coram arca in qua erat testimonium sive lex. Erant igitur virgae in tabernaculo foederis coram arca, non intra, et ibidem quoque erat virga *Aaron*. E contrario nusquam tabulae legis dicuntur esse coram Domino, quia non erant iuxta arcam, sed in arca.

100. ARGUM. VII. Auctor epistolae ad hebr. 9, v. 20, in voce: *testamentum*, graece διαθήκη, inaniter ludit, vocem a proprio in proprium sensum detorqueus: ergo ut *Ioannes Clericus* impie cavillatur, scriptor epistolae ad hebraeos meros lusum hominis hellenistae protulit. Ant. prob. auctor epist. ad hebr. citato cap. 9, v. 15, et seqq. loquens de testamento proprie dicto, quod morte testatoris confirmatur, ver. 20, allegat verba Exod. 24, v. 8: *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*: atqui in Exodo secundum hebraicam veritatem nulla sit mentio testamenti, sed pacti seu foederis. Illa enim verba Exod. 24, v. 8, in textu hebraeo: הגה דם הברית אשר כרת יהוה : עמכם על כל הדברים האלה : *Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his*: ergo auctor epist. ad hebr. adducens hunc textum libri Exodi male posuit vocem *testamenti* loco vocis *foederis*: quasi testamentum et pactum sint idem; cum tamen testamentum sit morientium, pactum vero viventium. R. Frivolum et prorsus nullum est hoc adversariorum argumentum. Nam vox hebraea ברית, *berith*, quae Exod. 24, v. 8, ponitur, non solum *foedus* sed et *testamentum*, sive genere ad speciem restricto *foedus testamentarium* significat (1). Hinc non solum auctor ep. ad hebraeos, sed etiam LXX. Interpretes vocem ברית *berith* perpetuo vertunt διαθήκη, id est, *testamentum*, ut patet ex cit. loc. Exodi; item ex psalmis, quos ex versione LXX habemus, et ex *Hieronymo* in cap. 2, *Malachiae*, ubi

(1) Vide *Cornelium a Lap.* comment. in epist. ad hebr. c. 9, v. 20. Pro responsione, nota primo.

ait: *Notandum quod ברית verbum hebraicum, Aquila מברית, id est, pactum interpretatur: LXX, semper διαθήκη, id est, testamentum.* Et apostolus Paulus ad Rom. 9, v. 4, ad Galat. 3, v. 17, ac ibid. cap. 4, v. 24, et alibi loquens de lege veteri, *testamentum* vocat id, quod hebraei dicunt ברית, imo adeo trita est in ecclesia haec vox *testamentum* pro hebraica voce ברית, ut nihil frequentius dicamus, vel audiamus, quam *testamentum* vetus, et *testamentum* novum.

Quare falsum omnino est, quod auctor epistolae ad Hebr. 9, v. 20, ad significationem *testamenti* proprie dicti detorsit illum locum Exod. 24, v. 8, in quo agitur de *foedere*. Promissio enim vitae aeternae, de qua per figuras in testamento veteri, et aperte in novo agitur, est simul *testamentum* et *foedus* seu *pactum*, scilicet inter Deum et homines: est *testamentum*, quia continet dispositionem de haereditate aeterna danda filiis Dei, quae non fuit rata ante mortem testatoris. *Testamentum* enim est dispositio de haereditate, quae non prius rata habetur, quam testator moriatur: est autem simul *pactum* illa Dei promissio, quia habet annexam conditionem. Non enim vult testator Deus dare haereditatem aeternam, nisi iis qui leges suas observaverint, et hac ratione dicitur *foedus* et *pactum*. Igitur de eadem re loquitur *Moyses* Exod. 24, v. 8, et *Paulus* ad Hebr. 9, v. 15, et seqq. Et *Moyses* quidem vocat *pactum*, sed intelligit non quodcunque *pactum*, sed *pactum* de danda haereditate post mortem testatoris, et propterea sanguinem aspersit in po-

(1) Sic enim Exod. c. 24, v. 8 de *Moyses* dicitur: *Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.*

pulum (1), qui figura est sanguinis Christi pro nobis effundendi; *Paulus* autem vocat *testamentum*, sed intelligit de testamento non qualicumque, sed conditionato, id est, quod simul sit *pactum*. Nimirum, ut paulo ante dixi, utuntur quidem diversis vocabulis, sed rem tamen eandem *Moyses* et *Paulus* loc. cit. significant.

101. COROLLARIUM. Cum *Moyses* Exod. 24, v. 8, dixit: *Hic est sanguis foederis*, intellexit *foedus testamentarium*, sive *testamentum typicum* iam dictum; ideoque recte s. *Paulus* foedus illud Mosaicum citans ad Hebr. 9, v. 20, interpretatur per vocem *testamenti*, quia vere fuit *testamentum*, scilicet *typicum*. Totum enim vetus *testamentum* erat umbra et *typus* Christi, rerumque futurarum in novo *testamento*. Cum ergo novum *testamentum* fuerit proprie dictum *testamentum*, quod morte testatoris, puta Christi, confirmatum est, sequitur et vetus *testamentum* fuisse *typum* novi *testamenti* proprie dicti, ac consequenter ipsum quoque vetus *testamentum* fuisse *testamentum* proprie dictum, scilicet *typicum*. Qualis enim est res in se, talis est et *typus* eius in repraesentatione. Cum itaque novum *testamentum* in se sit *testamentum* proprie dictum, sequitur et vetus *testamentum*, quod novi fuit *typus*, repraesentatione, sive *typice*, fuisse *testamentum* proprie dictum; ut pluribus a *Cornelio a Lap.* (2) explicatur.

102. ARGUM. VIII. In epistola ad hebraeos quaedam citantur ex V. T. quae hodie in bibliis non leguntur: ergo videtur esse corrupta, vel saltem non canonica. Ant. prob. Ad Hebr. 9, v. 19, dicitur, quod *Moyses* publice praelecto volumine foederis, accipiens sanguinem vitulorum

(2) Comment. in epist. ad Hebr. c. 9, v. 20.

et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum... aspersit: sed haec non habentur Exod. 24, v. 8, ubi quid a *Moyses* in confirmationem foederis cum Deo initi factum fuerit, narratur. Dein ad Hebr. 9, v. 21, dicitur: *etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii similiter aspersit*: quod iterum Exodi loc. cit. non exprimitur. Praeterea ad Hebr. cap. 12, ubi de lege in monte Sina terribiliter lata sermo est, vers. 21 legitur: *Moyses dixit: exterritus sum, et tremebundus*, nec tamen haec verba habentur in lib. Exodi, ubi promulgatio legis in monte Sina describitur. R. Ex obiectis textibus neulquam probatur, epistolam ad hebraeos esse vitiatam, aut saltem non canonicam.

Nam ad primum R. Haec ad Hebr. 9, v. 19 scripta, et Exod. cap. 24 non expressa, omisit *Moyses* Exod. cap. 24, quia succincte haec narrat: ea vero Scriptor theopneustus epistolae ad hebr. loc. cit. ex revelatione, vel ex traditione seu ex consuetudine ritus legalis, ac ipsa praxi didicerat, atque eadem ex instinctu Spiritus s. supplevit et expressit (1). Nam aquam sanguine misceri solitam fuisse in sacris aspersionibus, patet Exod. 12, v. 22. Idem patet de cocco, sive lana coccinea atque hyssopo, Num. 19, v. 6 et 18.

Rursum, cum vitulis oblatos quoque fuisse hircos, patet, quia hircus, utpote suo foetore apte peccatum repraesentans, offerri solebat pro peccato, Lev. 9, v. 3 et 15. Hirci ergo hi in foedere et testamento Mosaico pro peccatis populi immolati significabant Christum in cruce pro peccatis totius mundi immolan-

(1) Quod enim epistola ad Hebr. Deo inspirante scripta sit, et canonica, iam supra n. 87, et seqq. probavimus.

(2) Comment. in Levitic. c. 8, v. 41.

dum: qua immolatione sancitum est novum Christi testamentum.

Porro ipsum quoque librum (foederis)... aspersit sanguine (nimirum *Moyses*, siquidem lex imperfecta est, et nequit sanctitatem dare, et ad eam rem praestandam eget sanguine Christi, cuius figura erat sanguis hic victimarum. Unde cum haec circumstantia de libri aspersione, sicut priores paulo ante memoratae, non esset scripta in Exodo, auctor theopneustus epistolae ad hebr. (nempe s. *Paulus*), quod praetermissum erat, ex instinctu Spiritus s. supplevit, quoniam ad rem, quam agebat, pertinere vidit.

AD SECUNDUM. R. Id, quod ad Hebr. 9, v. 21, de aspersione tabernaculi, omnium vasorum ministerii dicitur, factum est non eo tempore, quo Deus Exod. cap. 24 cum hebraeis foedus iniit: tunc enim necdum fabricatum erat tabernaculum, sed postea facto, erecto et dedicato tabernaculo. Unde non mirum, quod Exod. cap. 24, de aspersione tabernaculi et vasorum ministerii nihil legatur, vide *Riberam* et *Cornelium a Lap.* comment. in ep. ad Hebr. 9, v. 21. Quamvis autem Exod. cap. ultim., ubi de prima erectione et dedicatione tabernaculi agitur, non dicatur tabernaculum aspersum sanguine, sed unctum sacro oleo, intelligendum tamen est, ut sanguine quoque fuerit respersum; uti monet cl. *Bonfrerius* (2), et clare testatur *Iosephus* (3), his verbis: *Deinde sanguine victimarum ornatum Aaronis et filiorum eius aspersit... atque hoc modo per septem dies ipsos et vestes eorum curabat: tabernaculum item et eius vasa unguento sicut iam dixi confecto, et sanguine taurorum et arietum alternis diebus iuxta genus suum maclatorum.*

(3) L. 5 Antiq. c. 9.

AD TERTIUM. R̄. Equidem haec verba: *Moyses dixit, exterritus sum et tremebundus*, non leguntur in Exodo, ubi narrat *Moyses* ea, quae contigere, cum Deus legem ipsi ferret, neque aliis in locis huc pertinentibus. Quamobrem ex maiorum narratione aut aliunde censendus est id didicisse scriptor theopneustus epistolae ad hebraeos.

103. QUÆRES IV. *Quomodo verba illa ad Hebr. 5, v. 7, de Christo scripta: QUI IN DIEBUS CARNIS SUAE PRECES... AD EUM, QUI POSSIT ILLUM SALVUM FACERE A MORTE, CUM CLAMORE VALIDO ET LACRYMIS OFFERENS (videlicet in monte Oliveti, et pendens in cruce) EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA, conciliari quant cum illis Christi verbis Matth. 27, v. 46, in cruce clamantis: DEUS MEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME? R̄.* Sensus primi textus est, quod Christus exauditus fuerit non in petitione et voluntate quasi naturali, qua petebat *conditionate*, si fieri posset, mortem evadere (illam enim Christus ipse corripuit, et impleri *absolute* noluit, iuxta illud: *verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, uli orabat in horto), sed in sua petitione et voluntate absoluta atque efficaci, qua oravit non pro fuga crucis et mortis, sed pro implenda Patris voluntate circa passionem suam huiusque fructum; scilicet ut sua passione et morte mereretur sibi resurrectionem a morte; nobis autem salutem tam corporis quam animae. Nihilominus cum veritate potuit in cruce dicere, se esse a Patre derelictum, non hoc sensu, quod fuerit desertus et separatus a Deitate ac unione hypostatica Verbi, non etiam a gratia et amicitia Dei; sed eo sen-

(1) Comment. in Matth. c. 27, v. 47. Item in epist. ad Hebr. c. 5, v. 7.

(2) Script. s. contra incredulos propugn., N. T., part. 1, sect. 5, c. 2. quaest. 1. 42.

su, quod Pater eum a morte non eriperet, nec consolatione in carne et parte animae inferiore afficeret, sed Filium suum doloribus et tormentis cruciari usque ad divisionem animae a corpore permetteret. Praeterea *Tirinus* et *Cornelius a Lap.* etiam addunt hanc rationem, et censent, Christum in cruce recitasse psalmum vigesimum primum, qui est de passione et resurrectione Domini, et incipit: *Deus meus... quare me dereliquisti?* ut sic ostenderet, se esse illum ipsum, de quo psalmus ille agit, scilicet Messiam. Caeterum impia et horrenda est *Calvini* et *Bezae* blasphemia asserentium, verba illa Christi fuisse desperantis in cruce. Vide *Cornelium a Lap.* (1), et nostram huius blasphemiae refutationem (2).

104. QUÆRES V. *Quis ille MELCHISEDECH, de quo ad Hebr. 7, v. 3, dicitur, quod fuerit SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA, NEQUE INITIUM DIERUM, NEQUE FINEM VITAE HABENS? R̄.* *Melchisedech* l. c. dicitur *sine patre et sine matre*, non quod his caruerit, sed quod hi nobis ignoti sint, eoquod eius genealogia non pertexatur in s. Scriptura, quae solorum hebraeorum genus recensere solet, non vero gentilium sive non hebraeorum, qualis erat *Melchisedech*, unus ex regulis chanaanæorum. Similiter *neque initium finem vitae habens* is dicitur in Scriptura, utpote quae non meminit seu nativitatis seu mortis *Melchisedechi*, sicut tamen meminit nativitatis (3), et mortis (4) *Aaronis*, et consequenter nec meminit finis sacerdotii *Melchisedechi*, qui hoc ipso assimilatus est Filio Dei, et erat figura aeterni sacerdotii Christi. Ita *Chrysostomus*, *Theophylactus*, et *Oecumenius*.

(3) Exod. c. 6, v. 20.

(4) Num. 20, v. 29. Item c. 55, v. 58.

Porro variae erant, aut sunt erroneae opiniones de *Melchisedech*. Nam saeculo secundo ecclesiae, duce Theodoto Trapezita, exorti sunt haeretici, qui *Melchisedechum* supernam quandam virtutem maiorem Christo asseruerunt (1), ideo *Melchisedechiani* dicitur. *Hierax* vero Aegyptius (a quo *Hieracitae* (2) haeretici) hanc haeresin postea instauravit, et docuit, *Melchisedechum* esse Spiritum s.: id ipsum etiam alii (3) propugnabant. *Samaritani* testibus ss. *Epiphano* (4), et *Hieronymo* (5) *Melchisedechum* esse *Sem* filium *Noë* arbitrati sunt. Quidam ex christianis antiquis putarunt, *Melchisedechum* fuisse ipsum Filium Dei, qui Abrahamo humana specie sese videndum obtulerit, ut refert s. *Epiphanius* loc. cit. Haeresi 55. Hanc opinionem iam exoletam suscitavit *Petrus Molinaeus*, et *Petrus Cunnæus*. Denique *Origenes* teste s. *Hieronymo* censuit, *Melchisedechum* esse angelum, qui Abrahamo apparuerit. Verum omnes hos errores solide refutant *Calmetus* (6), *Natalis Alex.* (7), *Xav. Widenhofer* (8) alique, demonstrantes, *Melchisedechum*

(1) Vide s. *Epiphanius*, opus de haeresibus, haeres. 55.

(2) Ibidem, haeres. 67.

(3) Ita testatur *Natalis Alex.* tom. 1 Hist. eccl. in 5 mundi aetatem, dissert. 3.

(4) Loc. cit. haeres. 55.

(5) In epist. ad *Evagrium*.

(6) Tom. 5 dissertationum, pag. 171, et seqq. vel dissertatione praefixa ante

chum fuisse hominem purum, Chanaanæum, regem simul et sacerdotem.

105. QUÆRES VI. *Quomodo verba (ad Hebr. 13, v. 11): QUORUM ANIMALIUM INFERTUR SANGUIS PRO PECCATO IN SANCTA PER PONTIFICEM, HORUM CORPORA CREMANTUR EXTRA CASTRA, cum verbis (Levit. 7, vers. 6.): OMNIS MASCULUS DE SACERDOTALI GENERE, IN LOCO SANCTO VESCETUR HIS CARNIBUS, QUIA SANCTUM SANCTORUM EST, concilianda sint? R̄.* Hi duo textus facile conciliantur. Nam posterior loquitur de victimis communibus, quas sacerdotes et levitae ex Dei concessione comedebant: textus autem prior ad Hebr. loc. cit. non loquitur de victimis communibus, sed de hirco et vitulo, qui offerebantur pro peccatis pontificis et totius populi, maxime in festo expiationis. Horum enim sanguine expiabantur Sancta, ideoque eorum cadavera non comedebantur a sacerdotibus, sed cremanda erant extra castra (9). Plura de hoc vide apud *Cornelium a Lap.* (10), aliosve interpretes.

huius auctoris commentarium in epist. ad hebr. (7) Loc. cit.

(8) Tom. 1 s. Scripturae dogmaticae explicationis commentar. in Genes. c. 14, v. 18.

(9) Vide Levit. c. 4, v. 11, et c. 16, v. 27.

(10) Comment. in Levit. c. 4, v. 11, et in epist. ad Hebr. c. 13, v. 11.